

in publicum jubent; rectius longe facturi, si, postquam in ea comenda omnem operam frustra consumi, vel invitis factendum est, eam deserant, atque in simplicissima de electione doctrina, quae in Ecclesia nostra per Numinis gratiam viget, acquiescant, gloriamque dent veritati, & sic scissioni fatis funestae hac in parte non modo, verum etiam in reliquis, finem tandem imponant. Quem sane sic consequi si nobis liceat, non in postremae, sed primae ac praecipuae felicitatis parte collocandum, arbitraremur. Quid enim majorem uspiam voluptatem conciliare nobis posset, quam si fissuris Sionis medelam genuinam applicari, easque redintegrari, videre queamus? Quale quid vero obtingere haudquaquam posse absque recantatione erroris, apud nonnullos tam inveterati, vel praesens oraculum complexu suo doctrinae hujus, quam longe aliter, ac Praedestinatiani volunt, exponit, satis evincet ac docebit.

II.

Non minus sub hac umbra refugium quaerunt, qui inter reliqua noviter inventa, aut ex antiquitate heterodoxa repetita universalem, aut solennem saltem Judaeorum conversionem, non tam conjectando sperant, quam certis demonstrationibus spondere audent, & oraculum praesens inter praecipua, quibus depugnant, arma ac praesidia referunt. Vellemus vero, ut hujus rei haberent aliquod fundamentum, nec invideremus illis hanc opinionem, nec Judaeis conversionem; Nostram vero cur mutemus sententiam, haudquaquam videmus, praesentem nimirum locum, non minus, ac alia, quae afferunt, nihil habere patrocinii, quod ipsorum causae aut spei saltem faveat. Nam non unus ex nostratibus evicit, plerumque velut coronidis loco doctrinae Fanaticae, in abdito non raro latenti, annecti aliquid de Chiliafmo, quocumque etiam modo incrustetur & diverso
sub